

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

SANCTISSIMAE MARIAE ASSUMPTIONIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

MARIAE FELICIAE A IESU SACRAMENTATO

(in saec.: MARIAE FELICIAE GUGGIARI ECHEVERRÍA)

SORORIS PROFESSAE

ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM

(1925-1959)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Dilectus meus mihi, et ego illi» (*Cant.* 2, 16).

Maria Felicia a Iesu Sacramentato orta est in civitate Villarrica a Spiritu Sancto (Paraguay) die 12 mensis Ianuarii anno 1925; primogenita ex septem fratribus, parentes habuit Raymundum Guggiari et Armindam Echeverría, qui filiam ad fontem baptismalem duxerunt quando aetatis annum tertium iam expleverat et Maria Felicia ei nomen dederunt. Quinquennis Maria Felicia collegium “Mariae Auxiliatricis”, sub directione sororum, frequentare incoepit, ibique ad primam eucharisticam communionem

accuratissime se praeparavit cum decimum secundum aetatis annum ageret, qua occasione sibi proposuit ad perfectionem semper et constanter contendere.

Plures difficultates superare debuit propter perturbationes politicas quibus pater eius affectus fuerat, sed tamen curriculum studiorum usque ad titulum magisterii assequendum prosequuta est. Anno autem 1941 professa est in *Actionem Catholicam* quae tunc primum in Paraguay instituta fuerat. In congressibus huius societatis didicit Christum cognoscere et amare, ita ut deinceps Ipsum, toto corde dilectum, ut unicum vitae suae amorem eligeret. Annis 17 nata actioni apostolicae, scilicet Christo, sese in virginitate consecravit. Inde a dicta consecratione Serva Dei tota Dei et proximorum servitio se dedit: quotidie summo mane Eucharistiam recipiebat, per plures horas studio vacabat vel lectiones discipulis tradebat, domi matrem in domesticis laboribus adiutricem manum dabat, et insuper senes et infirmos visitabat; in congressibus Actionis Catholicae specialem curam iuniorum puellarum gerebat. Simplicissima et humili veste alba semper induebatur, alba ut puritatem significaret, simplici, ne quis cogitaret ipsam nepotem esse viri illustris qui Praeses Reipublicae fuerat.

Post bellum civile quod anno 1947 totam Nationem afflixit, familia Servae Dei, quae multa propterea pati debuit, praesertim ob exilium patrisfamilias, civitatem Villarrica deserere debuit et in urbem Assumptionis migrare, ubi Serva Dei titulum accademicum superiorem acquirere satagit ut propriae familiae oeconomicum adiutorium praestare posset.

Civitatem mutavit Serva Dei, non animum: intensius enim vitam theologalem colere curabat, fide, spe et caritate ac desiderio

Christum Crucifixum praesius sequendi omnibus exemplo erat. Cura puellarum Actionis Catholicae illi iterum commissa est, pauperes et infirmos ac carcere afflictos invisebat, in domo sua solatium parentum et fratrum revera erat, laeta semper, adiutricem manum omnibus praestans, poesi et musica animum omnium, sive domi sive extra domum, sublevare sibi proposuerat. Etsi parentes Servae Dei filiae matrimonium ardentem desiderabant, ipsa Christum super omnia diligens, amoris etiam renuntians cuiusdam iuvenis, die 8 mensis Septembris anni 1953 Beatae Mariae Virgini se consecravit, iuxta formulam Servitutis Marianae a Sancto Aloysio Maria Grignon de Montfort propositam, ac tandem, mense Ianuario anni 1954, decrevit sese Deo totaliter in Carmelo Teresiano consecrare, quod opere implevit die 2 Februarii eiusdem anni.

Coelum attigisse ipsa cogitabat, adeo gaudio plenam se sentiebat intra claustra, at paucis transactis diebus, Deus ulterius eius spiritum purificare intendens eam per noctem spiritus transire permisit, ipsa enim cogitare incoepit se verbo tantum et non opere proximos amare, quos, etsi per apostolatum salvare potuisset, tamen deseruerat ut sibi soli consuleret; insuper, lucernam quam Dominus in ea accenserat, sub modio vitae claustralis ponere timebat. Sic per menses noctem spiritus passa est, pacem tamen cordis nunquam amisit, nam Sponsum quem diligebat semper propinquum sentiebat, nec aliud a Deo petebat nisi amorem ut amare posset. Tandem die 14 mensis Augusti anni 1955 habitum induit beatae Mariae Virginis in Carmelo Teresiano. Laetitia, caritas, servitium, eam externe distinguebant, intus autem celeriter ad Sponsum currebat. Vita eius inde a novitiatu uno verbo describi posset, scilicet, nihil aliud fecit nisi, in oratione et immolatione

perenni, intensius semper amare: Deum et proximos, Jesum Sponsum, sorores communitatis suae, sacerdotes, quibus primum locum semper in orationibus dicabat, pauperes, humiles, mundum universum.

Nondum tertium annum a prima professione expleverat, ac dum ad perpetuam professionem se praeparabat, repente graviter aegrotavit, infirmitatis molestias laeto animo per aliquas hebdomadas patienter tolleravit usque dum die 28 Aprilis anni 1959 ad celestes nuptias vocata est.

Fama sanctitatis, qua inde a iuventute claruerat, magis in dies post eius mortem diffusa est; quocirca Episcopus Ss.mae Assumptionis Causam iniit beatificationis et canonizationis per celebrationem Inquisitionis Dioecesanae a die 13 Decembris anni 1997 usque ad diem 28 Aprilis anni 2000. Tandem ex norma disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes observavisset. Felici cum eventu, die 20 mensis Martii anni 2009 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, et die 8 Februarii anni 2010 Sessio Ordinaria est habita Patrum Cardinalium et Episcoporum, qui, audito Causae Ponente Excellentissimo Domino Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi – Mandelensi, agnoverunt Servam Dei theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroico in gradu esse exsecutam.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu*

heroico, Servae Dei Mariae Feliciae a Iesu Sacramentato (in saec.: Mariae Feliciae Guggiari Echeverría), monialis professae ex Ordine Carmelitarum Discalceratorum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Martii A.D. 2010.



† ANGELUS AMATO, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

+ 
† MICHAËL DI RUBERTO
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis